Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library



Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library



Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Turc. 704.

Epistola IACOBI PALAEOLOGI, DE REBVS Constantinopoli & Chii cum eo actis, lectu digna.

Schreiben auß Constantinopel von des Türckischen Kayſers vorhaben vnd angeſtelter Kriegsrüſtung/ ſo er wider die Chriſtenheit/ vnd ſonderlich Teutſchland jetzigerzeit zugebrauchen/ jhm vorgenommen.

Gedruckt zu Brſel/ durch Nicolaum Henricum/
Im Jahr M D X C I I I I.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

KÖNYV-TÁRÁBÓL

EPISTOLA.

MIttо famulum meum ad Cæſarem, non curo ſumptus facere, modo ſatisfaciam animo meo, qui eodem tenore fuit & eſt, erga eum. Fui Conſtantinopoli & Chii. Chii in magno periculo: in via in minori: Conſtantinopoli in nullo. Nauigaui ex Conſtantinopoli Chium Lesbia naui: parum defuit, quin nauis frangeretur, ex ignauia nautarum, & leuitate Nauarchi. Chium veni: commoda eſt vniuerſa ciuitas, quæ non ciuitas amplius eſt, aut Chius, vbi ego maximus olim fueram, ſed latibulum furum, & duobus ruſticis, a Pialio Baſſa commendata ruſticana caſa, & ſi defuiſſet mandatum regium, quod ego habui Conſtantinopoli a Mehemeto primario Baſſa, in optima forma periclitatus fuiſſem. Nam quotquot Domini ciuitatis & Inſulæ, cum olim floreret, qui eò venerunt ſuas quisque ob cauſſas, poſt captam & deſolatam ciuitatem, ab illis ruſticis, præfectis loco, periclitati ſunt, & iniuria affecti, qui maiore, qui minore: fœminæ etiam nobiliſſimæ priuatæ bonis, & multæ libertate: aliis vetitus diſceſſus, ex inculta & diſſipata vrbe. Arcem Turci tenent, palatia ampla, olim habitacula principum & Dominorum, diruta, & inhabitata, quod nullus ſit qui inhabitet. Vidi circuitum mœnium, habitant Turci vigiles. Portam vnam arcis, Aga Ianizerorum, alteram Aga Aſaporum ſeruant. Tecta palatiorum nudata, Palatia ipſa facta

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

præda militum. Ita cum nullus sit qui habitet, aut emere velit, & perpluunt, & ruunt & deformant arcem. Pialius Bassa, qui cepit vrbem & arcem, 32 viridaria, & 12 magna palatia adscripsit sibi, & alia alii: & iam octauus agitur annus, & in tam paruo tempore magna facta est vrbis desolatio: nullus nobilis ibi: nulla ingenua fœmina, nisi quas ætas, aut grauis, aut recentis natiuitatis fugere ex tot malis prohibuit. Remanserunt & aliquot monstra nobilitatis, qui olim fex & lutum erant. Multi Chii facti Turci, nonnullæ fœminæ: exactiones autem crebræ, vt qui fugere vult seruitutem, fiat Turcus oportet. Nam omnes Turci vbiq; gentium liberi sunt ab omni onere. Templa intra arcem Turcus habet, præter Arulam quãdam, in qua sunt Dominicani. Extra vrbem Græci sunt omnes, & qui nobiles sunt curant populũ, & in oneribus & exactionibus impositis & imponendis, ad illos recurritur. Franciscani aliquot in quadam domo extra vrbem. Sed & hi & Dominicani illi non diu Chii poterunt habitare. vidi palatium erectum ex lapide quadrato, multis impensis, non habuisse qui emere vellet 300 Taleris. In arce inueni matrem, vegeto adhuc corpore, sed callosis plantis, quod morbo grauata, lectum deserere non potuisset: somnium se videre, me conspecto putabat. Illi multum Turci detulerant mei nominis, qui quis essem ex facie ignorabant, gratia: & Quęstor ęrarius regius, quem Heminium vocant, vt illi seruiretur omnibus suis mandauerat olim. ita in arce habitabat, ex celeberrimo loco, vbi ego reliqueram, in quendam alium desertum a Turcis retracta: nã vexatur cordis tremore, cum Turcos videt: arcem ingressus deductus a duobus, illam inuisi, & concursus

sus est ad me vniuersi suburbii & arcis factus: Turci sequebantur Christianos, ignorãtes quo spectatũ illi accurrerent, Hoc die Sabbathi fuit: nam die Veneris sub vesperam Chiũ appuleram. Ea nocte moneor a quibusdã meis olim fidissimis, ne ad me reciperẽ quemuis, neq; solus domi manerẽ. Et cum hinc inde monerer, diu Papistis innotuisse meum aduentum: & ex Italia venisse litteras, statuisse vnà cum Raguseis Chienses quidam, me occidere, & soluere pœnã necis 1000 coronatos: Tum ego missis litteris regiis ad iudicẽ primarium, moneo me adesse: & ille missis suis Rabduchis, inuitauit me ad se, & cum venissent illi, inuenerunt ianuam ædium mearum & viciniam totam per multum spatii obsessam, ab innumera multitudine puerorum, puellarum, senum, virorum magnorum, paruorũ, qui venerant, alii me spectatum, quem audierant combustum, alii malo animo: Alii hoc vnum studebant, vt fierem Turcus, qui essem (vt clamabant) hæreticus, Lutheranus, & nullius fidei. Hæc acclamatio Papistarum opera curata fieri per pueros, coegit iudicem diligentius quærere, quisnam & quantus, & qualis essem: Respõderũt boni, mali, amici, inimici, Papistæ nõ papistæ, Græci, Latini, Iudæi, me esse Chium, natum in arce Chii, & magnum fuisse autoritate ea in vrbe, vt ex me penderet tota arx, & Insula, & Vrbs: doctũ, qualem non haberet Europa: nobilem in patria, & ampli patrimonii: sed omnia deseruisse studiorum caussa. His addebant Papistæ, me nihil credere de Deo, vt qui essem Lutheranus. Aliqui Monachi addiderunt, me esse circumcisum, & fuisse olim Turcum. Hæc agitabantur coram Prætore, quem Cadi magnũ (nam est etiam Cadi minor) vocãt, cũ venissent eius famuli,

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

cum vno interprete, & circumfusa Turcorum multitudine ad me. Hi videntes tãtam turbam meam domum obsidere (erat enim extra arcem) arreptis baculis, quos gestare solent, cœperunt proximum quemque percutere: ita fugata turba deductus sum in arcem, & prætorium ingressus, quod erat plenum multitudine Turcorum, Græcorum, Latinorum, Iudæorum: prope Prætorem sedere fui inuitatus: ibi ille quærere a me cœpit: Si qua in re auxilium ab eo egerẽ: Respondi ego: minime opus videri necessaria eius tutela. Et ille: Dicunt te Lutheranum esse: nos Lutheranos defendere solemus, quoniam melius de Deo sentire videntur, & nobiscum parum dissentiunt, multum autem dissentiunt Papistæ, qui figuras & imagines faciunt Deo, & illas colunt. Et ego: mattem inuisurus anum, huc nauigaui: quid isti de me sentiant, parum curo, cum sint ignari & indigni, cum quibus ego loqui de Deo debeam: maxime cum tales sint, postquam mutata est vrbis forma, qui olim colloquii caussa magnæ dignitati sibi adscripsissent, adsistere ante fores meas. Et ille: Scio & audiui quis sis, & Rex noster honorificum dedit tibi Passaportum: & si vis fieri Turcus, ego curabo, vt sis Prorex hîc, & possis omnes tuos inimicos occidere. (Proregem regionis vocant illi Beg, quamuis hęc vox sit etiam minoris dignitatis.) Et ego: Christianus huc veni, Deo iuuante discedam Christianus: & pacifice veni, vt viderem matrem: pacifice etiam discedam, neq; nocebo alicui, quamuis isti beneuolentia aliqua sint indigni. Hæc duodecies ab illo repetita sunt, vt fierem Turcus, & erat subornatus Monachus quidam Græcus, qui testaretur, me esse circumcisum & fuisse Turcum: hic magnæ molestiæ & periculi fuit mihi principium. dixi sublata voce: Mihi videri rem indignam coram Prætore Regio, res tam turpes per mendacium narrare. Ad hæc subrubuit Prætor: & incandescens Ianizerus quidam, qui aderat, & mecum ex Constantinopoli venerat, acceptum malis verbis Monachum, ita exagitauit, vt si ego institissem, male Monacho cessisset, & coactus fuisset fieri Turcus. Tum Prætor animaduertens multitudinis insanæ consuetudinem, indixit per Præconem, per arcem & suburbia, & totam vrbem acclamari, in hanc formã, cuius habeo Græcum exemplum:

Ex mandato Magni Domini (ita Regem Turcorum cognominant) & magni Cadi loci huius, significatur omnibus: Nemini licere aut verbo, aut facto, iniuriam aut impedimentum inferre Dn. Iacobo Palæologo, sub pœna 300 plagarum, & mille asperorum, hoc est, viginti Coronatorum.

Amurathes Celebi magnus Cadi Chii Zeffer. Præco prætorii.

Hortatus est deinde me, vt in arce habitarem: Quod ego nolui facere. Mandauit igitur iudici rerum capitalium, vt mandaret suis lictoribus, noctu domum meam vt tutarentur: ita omnis multitudo dilapsa est: ita quietem habere cœpi. Eodem die, qui fuit 24 Maii, cum arcem essem egressus, reuocatus fui a Secho (est Turcorum Monachorum genus, sanctitate vitæ celebre) & præsente Aga Ianizerorum, & Magistro aulæ Proregis ciuitatis, & Quæstoris regii, & aliorum plurium, cœpit me hortari, vt essem animo ab omni populari iniuria quieto, & de fide quærere cœpit, dicens: Audiui, te esse in fide Iaurorum (ita Christianos no-

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

minarit) doctissimum: Quare vellem abs te quibusdam in quæstionibus edoceri: Quot sunt prophetæ Dei? vnde ortum duxerint? An post Christum Iesum alii prophetæ fuerint in mundum a Deo missi? An Christus de illorum aduentu aliquid dixerit? An Christus Iesus alicubi se in Euangelio vocarit filium Dei? Ad hæc ego respondi vt summam admirationem (dicamne? dicam certe) mei apud animum eius reliquerim: cœpitque hortari ille, vt fierem Turcus: cum pluries hoc repeteret, & ego responderem me gratias illi agere, sum ab illo magna cum commendatione erga astantes de me facta, dimissus. Quare discipuli eius me comitati sunt domum. Interea cum ego cum Secho loquerer, tot illatæ sunt plagæ plebi confluenti a lictoribus, vt Nicolaus famulus meus, qui aderat, & ad me venire non poterat, miraretur, quod nullus esset mortuus. Sechianorum comitatus me apud Turcos reddidit honoratiorem, & verba Sechi apud discipulos commouerunt eorum animos, vt me tutarentur, & me inuiserent. Non destiterunt tamen illi quales quales, & duo, aut tres Papistæ commouere Monachos & alios, vt excommunicarent omnes, qui ad me visitatum venirent: minarentur, si parui penderent excommunicationem, bona illorum, quæ haberent in Italia, confiscatum iri. In hanc eorum sententiam Metropolitanum quendam Lesbium, qui eò, aliam ob caussam, venerat, attraxerunt: vt hoc ipsum ille faceret cum Græcis. Hæc quãuis & a me, & a nonnullis spernerentur: attamen tanti fuerunt apud Cadi, vt si voluissem & desiderassem vindictam, potuissem omnes, aut pellere ex Insula tota, aut cogere ad tus coram rege venire. Hortabantur Turci, vt hoc facerem, sed

sed ego memor, qualem ob caussam Chium veniissem, nulli quidquam cuiquam nocere, sed dissimulare omnia volui. Nam in præiudicium literarum regiarum talia attentare, capitale videbatur, aut diminutio capitis. Die 31 Maii locutus sum iterum cum Cadi magno, monens me discessum parare: hortari cœpit ille, vt diu Chii essem: & deinde dicere, paruam rem esse Turcum fieri, mihi promittere & curaturum, vt a rege seruaretur quod ipse promisset ad (tandem) 100 asperos, hoc est, duos coronatos in dies singulos pro Lopha, qui mutatus in Tomar, sunt cẽtum millia asperorum in anno, hoc est, duo Coronatorum millia, & me futurum Proregem Chii. Nam quot quisq; asperos habet pro Lopha, hoc est, salario in die, tot millia habet pro Tomario, hoc est, reditu annuo in anno. Cum autem ego respondissem, quantum respondere satis est visum, ab eo discessi: & petita venia a matre, ex Chio solui die 14 Iunii, cum antea discedere non potuissem propter tempestates: & die 21 mensis attigi solum Constantinopolitanum, vectus trireme Algeriana iussu Pialii Bassæ, qui Chium cum classe die 7 erat ingressus: & cum intellexisset Nauarchum nolle me recipere in triremem, misit, qui moneret vt me & reciperet & tutaretur, quod ille præstitit sedulo. Ægone si fuimus per duos dies, propter Cluciali classis præfectum, qui nos excipere voluit conuiuio: inde Sestum, & deinde Gallipolim & tandem Constantinopolim. Chii cum Turci lustrare vellent templum sanctũ Dominici, in quo pater meus fuerat sepultus, omnia ossa & cineres eorum, qui eo in templo sepulti erant, collecta disperserunt in mare, & omnem memoriam monumentorum expunxerunt: eam ob caussam

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

patri erexi, cum mei memoria monumentum, seu Cœnotaphium, ita:

Θ A Ƀ

Θεοδώρῳ ὁλυμπιδαρείῳ τῷ Παλαιολόγῳ
κειμηλίῳ Θωμασσινῆς τῆς κλεινῆς
ζύγη γένεσι μὲν, ἡρίσῃ δ' ἀγωγῇ
δόξαις τε πίστει θείᾳ τε καὶ ἀνθρώπων
νόμῳ, σὺν ἠθάσι ἀγαθοῖς δοκίμοις τε εὐσεβείαις.
Ἰάκωβος Χίος
Τῷ παῖδα δὶς ὅταν ὁ ἥλιος ἐφεζόμῳ ἐλευθέραν δ' ὰν πρίτῃ μῖνὸς τὰς ἄκρας,
κατῆ τριῶν βυκολιάνης ζυγωθῶναι δεδικαιωμένῳ, ὁρᾶν βυκόλιόν τ' ἔφικεν.

Hoc est,

Theodoro Olympidario, Palæologo, quiete potito, & Thomasinæ Clauaræ viuæ, parentibus quidem ortu & educatione, præceptoribus autem, in his quæ Dei & hominum sunt, lege & more, bonis, probatis, longe pietati studiosissimis, Iacobus Chius, patriam bis lucente sole liberam, & tertio cum conaretur luna cornua communi puncto iungere, connectereque seruam videre cupiens: Posuit.

Hæc in triangulari lapide, cuius Basis terram tangit, ex vno latere, ex altero autem:

Παράδειγμα γιγνόμενος πᾶσι τοῖς τῆς
ἐκατέρας τύχης, δ' πᾶσι δυναμένων
κατὰ βιαίων ἀσεβῶν, δυσκιήτων ῥίπτης,
ἀδοκίμων λώβας δόξης, χρὸς περιζέως,
ἡρώδου, αἰδοῖ ἀπόδεκτος πρῶτος
σωτὴρ ἀπ' ἀνθρώπων, θεὸς πὶς κατ'
ἀρετὰς παίπας ἀπίχθους ἐχόντων.

Hoc est,

Spectaculum factus, & eorum quæ sunt vtriusq; fortunæ,

tunæ, & eorum quæ fieri possunt a vi, impiæ pertinacis limæ, improbæ linguæ, opinionis manus & factorum, in hominem sine supicione mali degentem vitam, ab hominibus qui odio persequuntur omnes virtutem colentes.

Hæc igitur Græce, quæ in gratiam tui Latine vertere volui, insculpsi marmori, & erigi curaui patri, publico in loco: Matrem inueni 4 thalerorum ære alieno oneratã, quod dissolui. Intra hos autem septem annos, quibus vrbs & omnia capta sunt a Turcis, vendere coacta est vestes & libros, non omnes tamen, habebat adhuc argentum, annulos & alia domestica ornamenta, quæ attingere nolui: itaq; refocillaui illam, & reliqui, qui illi seruiret, qui curaret, qui succurreret, & Chii, & Gallipoli, & Constantinopoli. His autem ego, per nostros legatos & nuncios, satis facturum me omnibus & omnium literis promisi; sunt autem hi omnes veteris nostræ amicitiæ constantissimi cultores.

Illustrissimus D. Milos Transalpinæ Vaivvoda Constantinopoli rogauit, & me fecit procuratorem, vt centum aureos expenderem in sui gratiam, Chii, pro emendo prædiolo, coniungendo cuidam monasterio Græco celebri, quod a Monachis Sancti Basilii habitatur, μὰ μονὴ dictum, diceres tu, Sancta mansio. Huius literas procuratorias Patriarcha Constantinopolitanus, Hieremas nomine, confirmauit, quibus ille me instituebat procuratorem. Tanta autem insania immorigera fuerat illius vnius rusticani hominis, quem Pialius rebus insulæ præfecerat, vt Monachos illos priuauerit hoc beneficio. Itaq; patriam ingratam deserui, paulo post maioribus malis obnoxiam futuram: Literarum exempla apud me habeo, adscribã tamen partem harũ quæ ad hoc pertinet.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Ἱερεμίας ἐλέῳ θῦ ἀρχιεπίσκοπος
Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης
Ϙοικουμενικὸς πατριάρχης.

Ὅσ. ὡσπερ, &c. ἀξίωσε τὸν εὐγενέστατον ἄρχοντα κύριον Ἰάκωβον τὸν Πολυλόγην ἰδόντα μὲν πατὴ ποσῶς τὰ ἀνδρία τὰν νῦν πρὸς ὑμᾶς ἱερομένον, δῦναι φιλικὰ ἐκπεπτωκυῖα, Ϙ ὑγιαίνοντας ἐπισταλκέναι τὰ τοιάσδον, &c.

Huius formæ est etiam principis illius, quamuis corrupta & indocta, vt erat eius scriba, epistola, in qua procurator instituor. Propediem autem audies literas ab eodem Patriarcha esse scriptas & ad Cęsarem, & ad Regnum Boiemiæ, gratiarum actionis pro beneficiis collatis, in gentem Græcam, quæ illis innotuerunt me narratore, esse facta & collata. Constantinopoli cum innotuissem me notum omnibus, adesse, visitauerunt me boni viri & Domini, & Dominæ Chienses, quondam florentes rebus, tum summam in paupertatem redactæ & libertate priuatæ. Nam illis non permittebatur inde discedere, & in Italiam, aut Galliam, aut Siciliam nauigare. Erant autem cum liberis & familiis in luctu & mœrore perpetuo. Hortatus autem sum, vnà cum eis lugens patriæ excidium, omnes ad patientiam, miserorum portum. Deplorabant autem illi, non bonorum direptionem & captiuitatem, cum egestate grauissima, quam patiebantur: sed filios paruos, raptos & seruitio regio addictos, per vim circumcisos & factos Turcos, & onus filiarum nubilium, quod secum trahebant, & viduitatem quæ ob mortem (de fœminis loquor) maritorum illis contigerat: Quid his in malis facerem? Addebant illud, quot essent illi, qui patricii & optimates Chii, cum Chius esset, reuersi

uersi Chium, ab illis, qui Chio præpositi fuerant, tusticis, & vilibus blateronibus, fuissent male tractati, rogabantq; me, narrarem: An mihi prospere cessisset. Quare animaduerti consuetudinem fuisse, non adeo sine exemplo illam, quam vrbs capta receperat. Nam similia quædam, narrat Hieremias, accidisse Hierosolymæ captæ a Babyloniis. Hic Io. Michael, nunc nominatus Iosephus Naasson Dux Naxi & Princeps septem Insularum Ægæi maris, a rege Selimo declaratus, vetus meus amicus cum Christianus esset, nondũ ex facie, sed ex celebri fama eius amoris erga me, mihi notus, nunc Iudæus est, me conuenit, pluries allocutus est: offerebat mihi multa, & alimenta, & opes, & vnam Insulam, ex suis septem, si apud se habitare, aut ibi remanere vellem: Ego vero, & quoniam mutatos mores Turciæ videbam, & ne cogerer a Turcis, qui quos deamant laborant, vt Turcos faciant, hoc reliquum vitæ, aliquo ignominioso saltu concludere, remanere nolui. Hoc ipsum hi qui apud Patriarcham Constantinopolitanum erant carissimi, curabant, & sedulo apud me agebant, vt Græcus, apud Dominos & Patriarchum Græcum, remanerem: habiturus honorificam pensionem: si præmiis mouerer tantum, cohonestarem Patriarchatum mea præsentia. Neque his sum adsensus, & inuitatus ad prandium a Patriarcha me excusaui, prætexens meam vitæ consuetudinem esse alienam a conuiuiis aliorum Græcorum. Nam sciuerat bene, Chienses nobiles abstemios, magna ex parte vixisse. Non defuerunt etiam aliqui, qui recens ex Roma Constantinopolin venerant, & narrabant, meum illum fratrem Cardinalem Iustinianum, hoc vnum desiderare, vt tandẽ post tot meos

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

huc illuc discursus, tandem cum eo sentirem, qui mecum esset suas fortunas diuisurus: accesserunt eius cognatæ, quæ volebant esse auctores, vt hoc ipsum conficeretur: hæ erant olim ex Patriciis Chii, & quæ tum erant omnibus bonis destitutæ, labore manuum se sustentantes, quas Cardinalis per Regem Galliæ conabatur libertate donari, & Romam ad se mitti, & Cardinalis ipse omnes affines & cognatos ad se Romam confugientes, splendide donatos, apud se habuit, & quendam, qui mihi olim famulatus fuerat, Episcopatu opulento donauerat. Hanc sortem ego maxime omnium respui. Fui Constantinopoli a 21 Iunii vsque ad 8 Iulii: intra quod tempus multa acciderunt. Mehemetus Bassa primarius, qui totum imperium Turcicum solus fert & agit, & supremus Iudex totius imperii Turcici, & Amurathus Aga, summo desiderio videbantur teneri, me videre & alloqui, sed commoditas non erat: quoniam classis emissa publicis in consultationibus omnes, a mane ad vesperam detinebat: & facta quidē erat pax cum Venetis, turpis & infamis Christianis, & desideratissima Turcis, cui confirmatio ex Venetiis venerat Byzantium 3 die Maii: sed Turci erant soliciti, ne classis eorum, magna quidem & numerosa, sed ex Tyronibus cōstans ferme tota, & remigio destituta, incideret in Hispanam classem, de qua pluries miserant qui vestigarēt, vbi esset, quanta esset, quam instructa esset. Et fuit Arabs quidam tam audax, qui emensus mare Ionium, in Siciliam perueniens, terrestri itinere Messanam ingressus, numeratas naues, & perspectis omnibus, ad Bassam reuersus, descriptionem omnium narrauit: & si nostri exploratores certos habuissent, potuissent facillime totam classem Turcicam

Chii

Chii capere, magna cum gloria sua & detrimento regio. Non defuit tamen Lyburnica Messinensis, quæ Chium vsque nauigaret, & spectante tota classe Turcica, cymbam cum duobus Turcis & tribus Ianizeris raperet, & in Siciliā attraheret. Nam quamuis 210 triremes, intra duos menses Anno superiore, in procinctu instructas Turcus cum omni admiratione habuerit: attamen cum ex classe, quam victus perdidit Turcus, non nisi septem triremes seruatæ fuerint, tanta secuta est militum, & qui velint, & qui possint militare, inopia, vt hanc classem 300 triremium, & quinqueremium 18, & nauium 10, & Myoparonum 2, & aliarum paruarum nauium, semiplenam emittere sit coactus. Hæ igitur deliberationes non permiserunt me quicquam agere, cum aliis duobus: cum Amuratho tantum potui loqui, quem eo colloquio reddidi mihi amicissimum. Est autem classis maritimæ præfecti filius adoptiuus: & cum iam equum cōscendissem & ad domū Legati Regis Muldauiæ venissem, vt Byzantio discederemus, venit qui nunciaret, me quæsitum domi meæ fuisse, a famulo supremi iudicis: sed ego socios non poteram relinquere, cum non essem facile, nisi post menses aliquot, alios socios habiturus. Conuenit etiam me magna illorum multitudo, qui ex Christianis facti sunt Turci, alii capti in bello Veneto, alii sua sponte, alii vt Papæ sæuitiem fugerent: inter eos fuit miser Nicolaus, superintendens quondam Middelbergensis. Multum ille deplorauit suam fortunam apud me, clam aliis: is doctus in Latina, Græca, & Hebraica lingua, nescio quo casu, non mihi fieri potuit obuius, Anno præterito, cum ego hinc in Poloniam abirem, & ipse ex Polonia huc equitaret: ita

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

cum metuit, ne suus Princeps eum quereretad mortem, ab isto VVaivvoda per Cexistimans omnem impetum Christianorum ei insistere, vt caperetur, profectus Temesuarium, & inde Byzantium, in senatu Bassarum publice audiente Rege, petiit fieri Turcus: datum est illi spatium cogitandi octo dierum, quod nollent quemquam nisi sua sponte fieri Turcum: audiissent autem eum fuisse Episcopum apud Christianos: itaq; post octo dies reuersus, cum erecto indice pronunciasset illa: Deus vnus est, & quem misit ille, post Iesum Christum, est eius vates Mehemetus: obnubilatus capite lino albo, receptus est inter milites tertiæ Legionis Equitum, cum salario 12 Asperorum in die, hoc est, 21 Cruciferi. Conceperat autem multa animo, sed spes eum fefellit, quoniam cum gnaris rerum locutus non fuerat. Non sum autem duo nisi verba cum eo locutus: & pœnitens exclamauit: Vtinam hæc mihi in Transyluania dicta fuissent, numquam ego Byzantium veniissem. Certe, si spem haberet, suum principē non eius caput quæsiturum, reuerteretur, & alicui accersita sua familiola, viueret, & est in ea calamitate, misericordia hominum non indignus. Ante discessum etiam ex Byzantio meum, venit nuncius, cum mandatis, quod frater Regis Galliæ esset in Regem Poloniæ creatus a Polonico Regno, ob interceſſionem Regis Turcorum: non credebatur initio, quod dicerent, nondum adueniſſe regios nuncios: post duodecim dies venerunt illi, & attulerunt orationem, versam in Latinam linguam ex Boiemica, quam habuissent Legati nostri Cæsaris: eam curauit verti in linguam Turcicam Mehemetus Bassa, quam ego Latinam legi. Lætabantur Turci, quod dicerent regnū Polo-

Polonicum obnoxium Turcico fore: nam nūcii Regii narrabant me præsente, Polonos ob metum, ne Turcus moueret illis bellum, eum sibi creasse Regem, quem Rex mandabat. Hic multa prætereunda sunt. Polonia periit, nisi alicunde succurratur: vidi, & sum allocutus nūcium a priuatis Palatinis Polonicis ad Regem Turcorum bis missum, quod mihi displicuit, iugum Turcicum Poloniæ impositum iri, in prouinciarum Christianarum perniciem. Passaportus Regius ita habet, datus mihi a Rege, per Mehemetum Baslam, qui est alius quam ille, quem mihi Michael attulit, summa est Turcica ex lingua versus:

Prætoribus, Tribunis, Nauarchis terræ marisque, non solum Gallipolis, sed etiam aliarum terrarum, maxime prouinciæ Transyluaniæ, & aliis Prætoribus & Tribunis maris, & Ciuitatis Chii mandatur: vt nullus ipsorum aut aliorum ducum & Castellanorum, cum viderint præsens nostrum mādatum, audeat aliter facere. Nos enim concessimus gratiā præsenti Iacobo Palæologo Christiano Græco, vt abire possit Chium, & ibi tractare sua negotia, & recuperare bona, quæ ad ipsum pertinent: & propter hoc permittetis illum facere omnia sua negotia, non solum in mari, sed etiam in terra, in dicta ciuitate Chii, & nullus eum impediat, tam in eundo, quam in reuertēdo. Nam cum petitum hoc fuisset, non potuimus hoc illi denegare, vt veniret, ad cōficienda sua negotia: propter hoc, quantum vobis est cara gratia nostra, non resistetis illi, sed permittetis abire, & sua negotia cōficere. Nam sub præsi-

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

dio huius noſtri mandati diſcedit ex ciuitate Conſtantinopoli, ad ſuum iter, ad dictam ciuitatem. & ita vobis omnibus miniſtris præcipimus & ordinamus ne aliter faciatis, niſi id quod hoc mandato vobis ordinatur, ſub pœna auerſionis noſtræ gratiæ a vobis: Itaque ſciatis volũtatem noſtram. Scripta in ciuitate Conſtantinopoli. Anno 981.

Si animaduertis, ter repetitur idem, quod fieri eſt mos aulæ cum ſcribere volunt in optima, vt nos dicimus, forma. Diceeſſi Conſtantinopoli, vt dixi, die 8. Iulii cum Legato Muldauiæ Regis, & poſt multos errores, die 20. perueni Siliſtrã (olim Axiopolis dicebatur) ad Danubium ſitam: Vbi inueni Emericum Moravvsky Morauum, qui captus cum diriperent Turci Lipam, & puer ductus in Turciam, tãdem factus eſt Turcus: nunc cogitat ad Cæſarem venire, promiſi omnia quæ ſperari a clemente Domino poſſent: Maxime cũ ſciat Turcice, habere poſſet locum honeſtum apud interpretes. Ex Siliſtra veni Bucureſti in Tranſalpinam, & exceptus fui honorifice a Rege, quoad ibi fui. Miſit mane, veſperi, gallinas, carnes, candelas, panem, vina, auenam, fœnum, paleam, vt reddiderit me ſibi deuinctiſſimum. Habet in vxorem nobilem Chiam ciuem meam, ex Saluareſarum familia, ſplendida olim & opulẽta: illa me honorauit munere. Itaque ex Siliſtra hucuſque nil ferme feci ſumptuũ. Redeo Conſtantinopolim, vbi die 7. Iunii, ſpectante Nicolao illo Chrauero, crudeliſſime eſt Sechus vnus cæſus a Turcis, iuſſu ſacerdotum aliorũ, & ipſe Sacerdos. Is audita concione, in qua narrabatur, Deum ſeptem orbes, & ſeptem cælos creaſſe, miſiſſeq; equum e cælo ad Mahumetẽ, per Gabrielem

lem Archangelum, vt ille conſcenſo equo, perluſtrare poſſet omnes ſeptem orbes, vt deligeret locum, in quo habitare cum ſuis poſſet: dixit hanc eſſe fictam fabulã, & perſiſtendum eſſe in Alcorani narrationibus, cui nihil eſſet addendum: & ita egit, vt magnam & ſplendidam multitudinem in ſuam ſentẽtiam pertraxerit. Quare vocatus a Muphthi, qui eſt alter Papa, in conſiſtorium ſacerdotũ, permittente Mehemeto Baſſa, cum adſentiri illis nollet, vt fateretur quod illa eſſet hiſtoria, damnatus eſt capitis: tulit mortem ille conſtantiſſime, non in cõſueto loco ſuppliciorum, ſed ante carceris ianuam. Nam cum ille deduceretur, & auditum fuiſſet Conſtantinopoli, omnes eius diſcipuli armati locum ſupplicii ſepſerunt: venerũt etiam eò armati Ianizeri, Solachi, & alii magni nominis viri. Veriti igitur ſacerdotes tumultũ & cædem, quæ ſecutura erat, illum carcere egreſſum iuſſerunt occidi & comburi: & duos eius cum eo captos diſcipulos ſuſpendi, & diffugerunt. Hoc audiens ex Ianizeris vnus, accurrens ſuper corpus Sechi, præciſo ſibi iugulo occubuit. die 29. eius menſis alii 5. capti ſunt & occiſi: & die 1. Iulii alii 4. unco ſuſpenſi: & die 2. ad 40. Hanc immanitatem auerſati milites, aliqua commentantur. Nam Sechus iſte & doctus & celebris inter eos cum ſuis diſcipulis erat, & extant ad 5000. qui eius opinionem tuentur. Eodem tempore, quo iſta fierent, datus eſt mihi legendus liber Turcicus, cũ appoſita ad ſingulos verſus Latina interpretatione, ab interprete vno Regio ſene, & non indocto viro, ſacerdote olim, prius Chriſtianorum, deinde Turcorum: in eo tota religio Turcica explicabatur. Hoc audito Nicolaus ille cum ſuis ſociis venit ad me, rogans, ne iudicium meum in librum illum

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

dicerē, nec contradicere vellem; ne periclitarer. Respondi: Si tacenda est veritas, satius erat Romæ reticere. dicebat autem, omnes milites ex Christianis factos Turcos, cum rogarentur quid crederent, vt vitarent improbitatem Sacerdotum, cogi dicere, Id quod Rex credit. ita enim vitare omnes molestias. Venit igitur ille, & dixit, Legistine librum? perlegi, inquam ego: & ille: Tam cito? Quid ni, inquam, cum vitam traduxerim legendo, commentando? Et ille. Quid sentis? Eris Turcus? multum, inquam ego, longinquus sum ab hac sentētia: nā liber vester principia & fines habet de Mehemeto, & citat Alcoranū. Media omnia continēt tractatū de virtutibus. De virtutib. autem ciuilibus vellē legisses scriptores Græcos & Latinos eos, qui fuerūt ante natū Christū & Mehemetum: De Mehemeto autē, nisi Alcoranus abs te bene vertatur, postquam dicis, fuisse a Christianis male versum, & ego bene versum legero, quid dicere possim? Est tamen in quo disputem tecum de annis, quod non videatur annus 981. transmigrationis Mehemeti, respondere Anno natiuitatis Christi 1573. posse: nisi velis facere, vt primus annus transmigrationis Mehemeti, fuerit annus natiuitatis Christi 631. quod tu negas, & dicis annum primum trāsmigrationis incidisse in annum 592. Nam si annus Turcicus est Lunaris, & dierum 354. quomodo potest respōdere annuatim annis Christianorum, qui sunt solares & dierū 365. hor. 6. Ita disputationem de annis exorsus, coegi illum melius cogitare, & dixit: Audiui te doctum esse: & perspicacis ingenii, & multæ lectionis. Ita ego consulebam, vt ad Muphthi deducerer, ad familiarem confabulationem, nam idem me sperabam facturum, quod Chii cum Secho fecerā. Nam institutum Pauli præ oculis habebam, qui se eum Deum prædicare dicebat, de quo ille scripsisset: Dei genus sumus: ita ego ad illum Deum & Christum, quem celebrabat Alcoranus, deducere conabar. Nam Turci Alcoranum hunc veluti rudes conciones Mehemeti dicunt esse: Illi autem nō insistunt, nisi qua de Deo & Christo disputat, alia prætereunt. Vtinam commodum tempus fuisset colloquendi cum supremo Bassa, & supremo iudice. Reuersus huc sum die 12. Augusti: & ecce vnus & alter cum literis ex Polonia, in quibus narrabatur a quodam Gregorio Paulo, auditum fuisse, nescio vbi, & abs quo, aut quibus, me Turcum esse factum, cum in Oenopolio potarem Constantinopoli cum quibusdam Turcis: O miseros homines: atqui ego, si vmquam alias numquam ab bibendum Oenopolia sum ingressus, hoc maxime ibi, ne existimationem meam Chii, Constantinopoli, & per totam Thraciam & Græciam celebrem, amitterem, mihi minime faciendum duxissem: ego numquā in Oenopolio fui, quod in Turcia est infame: ego nunquam cum aliquo potaui, in paupere & canino conuiuio, hoc est, sine vino, excepi domi meæ non semel Nicolaum illum, & eius socium, & alios quosdam, qui Turci ex Christianis facti fuerant. Ita infrenes linguæ mea omnia deturpare conantur. Praga discessi, paulo post narratum ibi est, me ducē sicariorum esse factum Polonia discessi, & ecce quid narratum est? Sed Deus parcat omnibus, & Bene vale cum tuis: alia in aliud tempus.

Caudiopoli, die 10. Decemb.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library

Auß Constantinopel vom 19 Nouemb. Anno 1594 von einer vertrawten Person.

DEs Kriegshalben hab ich offt geschrieben / darumb dringet es jhrer Majestät recht für / da anders Lande vnd Leuth sollen erhalten werden / so haltet an / damit dieselb / so viel sie jmmer künden / Volck zusammen bringen / sich staffiren vnd rüsten. Denn ob man wol den Sinan Bassa geschlagen / wird doch ein ander Volck an die stell gefürdert / doch gerüng vnd schlecht. Es bedüncket sie / jhrer sind viel / aber die menig der Camelen machts / denn sie auff die Camel Menschen Bilder gemacht / vnd Fahnen darauff gebunden / vnd viel Roß vnd Esel mit allerley sachen beladen. 10000 Janitscharen sind gewiß / aber diſe 10000 kan man mit Gottes hülff mit dem Fußvolck von Pappa / Vesprin vnnd Palotta schlagen / denn viel Buben vnter disem / welche jr lebtag kein Büchsen / als jetzt in die Hand genommen / hilfft Gott / daß jr sie vberwindet / so lasset nicht nach / biß auff Constantinopel / gebet den Türcken nicht glauben vñ trawen / gedencket / daß niemals etwas mit gewalt eyngenommen / sondern allein durch betrug / hütet vnd sehet euch für / daß jr nicht von jnen betrogen werdet / das ist jr gewiß fürnemen / daß sie biß nach Rohm alles eynnemen wöllen / so man jnen nit widerstand thut. Die Kayſ. M. vñ Bäpstliche H. aber werden aller gnedigste fürsehung zuthun wissen.

Der

Der Sinam Bassa hat sich alhie verpflichtet / daß er zu Rohm in S. Peters Kirchen tantzen wölle. Gott aber wirdts gnediglich verhüten / vnnd das nicht zulassen / so anders jhre Majestätt versehung thun werden.

Jhr sollet keinen Türcken lebendig fangen oder leben lassen / sondern alles niderhawen / Gott hat euch verstandt geben / befleisset euch auff gute kunstschaffer / vnnd gebt nur auff des Sinan Bassa Veziers hauffen achtung / damit jhr denselben vberwindet / wann solcher geschlagen / möget jr gewiß / so weit jhr wöllet / herein kommen / auch gar biß hieher / die alhier verbliebene Türcken seyn nichts.

Der Kathul Bassa / als er vernommen / daß man wider euch zeucht / hat sich auch bald auff gemacht. Die Georgianer vnd Tercassen sind auch auff wider die Türcken / vnd ist gewiß sie sind sehr erschrocken. Den raub lasset euch nicht auffhalten vnd fallet nicht drauff / wenn Gott hilfft / daß jhr sie schlaget / sondern bestellet einen gewissen Mann darzu / der sich dessen annimmet / vnd zusammen tragen lesset / jr aber eylet den Türcken nach / vnd rettet ewer Vatterland / deñ die Feindt hernach nicht mehr auffkommen können / wie sie auch selber bekennen / daß sie müssen vntergehen / vnd vertilget werden / vnnd daß die Christen werden Constantinopel eynnemmen. Derhalben seid darauff bedacht / vnd bringet es recht für jhre Majestätt / der Allmächtige Gott wölle euch viel Glück vnd Heyl sampt der gantzen Christenheit geben /

A. M. E. N.

Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library



Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library



Országos Széchényi Könyvtár - National Széchényi Library